



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis  
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus  
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,  
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

**Raemond, Florimond de**

**Coloniae Agrippinae, 1655**

V. Ceremoniae substantiam non mutant.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10880**

ut apud Iustinum Martyrem, Tertullianum, Origenem, S. Augustinum, & alios videre est. Et hic quidem, Extremum actum quem Salvator ad Crucem proficiscens, in hoc Mundo obierit, ait, illum esse quo corpus suum manducandum dederit, ad memoriam sui recentem semper conservandam. Formam vero & ordinem certum non præscripsisse, sed Apostolorum, quibus Ecclesie destinata gubernationem, arbitrio reliquisse. Quid vero de Circumcisione in Veteri, & Baptismo in Novo Testamento hæretici dicent, quorum forma utrobique à Pastoribus & Sacerdotibus præscripta est? Idem S. Augustinus alibi dicit, Ceremonias quæ in Sacramento usurpantur, nos ab eadem habere traditione, à quo Symbolum fidei habemus. Et S. Basiliius, *Quis, inquit, ille inter sanctos est, qui verba invocationis, quando Eucharistia elevatur, usurpata, scripta nobis tradidit?*

IV. Esto, inquit hæretici. Nullibi tamen legitur sacrificium hoc à Salvatore Missam nominatum. At idem nec cœna, nec Sacramentum in scriptura appellatur. Quemadmodum Deus creato universo Adamo non uxori modo, & animantibus, sed etiam ipsi stellis nomina imponendi potestatem dedit: sic Salvator noster divinum hoc mysterium certo nomine appellandi, Ecclesie suæ Pastoribus facultatem concessit: quod quidem illi ab Hebræa lingua mutuati sunt, ut Aleuinus, Jsidorus, ac Rabanus censent. Ipse certè Melancthon, Reuchlinus, Munsterus & Bibliander fatentur, mysterium hoc à primis Christianis velut occultum semper, ac præcipuè erga infideles, fuisse habitum. Et sanè tanta est eius dignitas, ut admiratione potius & silentio, quam voce exprimenda sit. Solis fidelibus notum erat hoc mysterium, quod & à SS. Patribus tremendum appellatur. Postquam vero infideles calumniari Christianos cœperunt, quasi in cœtibus suis pueros sacrificarent ac comederent, tum de eodem mysterio huius adyta referantur, & quale illud sacrificium esset, toti Mundo ostenderunt, ut ex Tertulliani & Iustini Martyris scriptis videre est. Mihi quidem in sacra huius actionis institutione Salvator noster excellentem aliquem pictorem imitatus videtur, qui prima lineamenta sua ipse manu, qua par est ubiq; arte describit & adumbrat, pueris deinde ac discipulis ipsam tabulam coloribus exornandam ac perficiendam tradit, qui interim illud unice operam dant, ne à magistri manu ac penicillo exorbirent atque aberrarent. Eodem modo pulcherrima hæc tabula,

qua per corporis crucifixi exhibitionem, passionis ac mortis Servatoris nostri mysteria repræsentantur, à primo quidem illo incomparabili magistro delineata, sed à duodecim illis discipulis eorumque successoribus (discipulis quidem ipsius magistri, sed perfectissimis aliorum magistris) exquisito variarum ceremoniarum vel colorum ornatu instructa atque expolita, ac contra omnem temporis iniuriam, situm ac squallorem eo ornatu integra hætenus conservata est. Quis nisi amens dicat vel existimet, non esse hoc vere idem sacrificium à Salvatore nostro institutum, eo quod orationes quædam ac ceremonie, tam ad explicationem quam ornatum ac reverentiam cuius mysterij pertinentes adiunctæ sunt? An tu Apellis picturam esse negabis, eo quod ab alio extensa, renovata, aut vivaciore aliquo colore induta sit? Imperitissimus sit oportet, qui nesciat accidentia à substantia distinguenda esse; remque tam diu eandem manere, quam diu substantia manet illæsa. Sic homo octogenarius idem ac non minus homo est quam illo die fuit quo natus est; Quamvis tam animi quam corporis habitus longe sit diversus.

V. Omnes istæ divinæ ceremonie, cantiones, orationes, manuum elevationes, pectoris percussiones, genuum flexiones, Crucis formationes, benedictiones seu consecrationes, et Missæ, quam Dominus quo die sacrosanctum hoc Sacramentum instituit, celebravit, nullam omnino afferunt mutationem. Atqui Cœnant novi istius Evangelij factores hæc omnia hominum sunt ad inventiones. Fateamur. Sed quorum hominum? Eorum nempe in quibus nihil præter humani, sed divina omnia fuerunt. Homines fuerunt, sed discipuli ab ipso filio Dei edocti; & Apostoli, à Spiritu sancto illustrati: quorum instituta, ut Sanctus Cyprianus inquit, non minorem habent auctoritatem quam quæ ab ipso Jesu Christo ordinata sunt. Quod non de Apostolis modo, sed eorum etiam legitimis successoribus intelligendum est. Neque enim quidquam Deus Apostolis promissit, quod non etiam ad futuros Ecclesie rectores pertineret, eos, inquam, qui eadem auctoritate legitime essent constituti. Hiisdem Spiritu S. non illustratore modo, sed & custodè habuerunt. Helychius certe Hierosolymitanus Episcopus testatur, sanctum Spiritum tum quum hoc ipsum mysterium celebrarent, in Apostolos descendisse. Hinc magnum illud Lateranense Concilium, cui plures

plures quam vlli aliteri Episcopi, Prælati, Reges ac principes ex omnibus terræ partibus interfuerunt, hanc præstationem edic: Ecclesiam semper integra fide custodiuisse id quod ab Apostolis accepit, qui ei regulam officiorum Ecclesiasticorum tradiderint. Abeatissimis S. Petro & Paulo, qui Romæ mortui quiescunt, ipsum modum sacrificii celebrandi accepisse, qui huc usque inuolubiliter sic conseruatus.

An ex tam infinita assistentium multitudine neminem putamus inuentioni huic, si humana & diabolica, vt impii isti loquuntur, ac non multipotius cœlestis ac diuina semper esse habita, contradicturum fuisse? At cæca hæresis nihil ominis etiam nunc sacro sancto huic sacrificio, à prima ac posteriori Christiana antiquitate recepto atque approbato, obmurmurat. Atqui non de nomine, sed de re ipsa disceptandum est: Arrianis olim responsum fuit, ὁμοῦσιον, seu consubstantialis nomen, tamquam nouum & in sacris litteris inusitatum calumniantibus. Hoc illud sacrificium est, cuius mentio fit in Actis Apostolorum, quod nimirum Apostoli sacrificio ac precatiōni intenti fuerint. Hoc illud est à Malachia prædictum sacrificium. Quod quidem S. Augustinus<sup>7</sup> in sermonibus suis Missam appellat. Sermones vero hos non suppositicios, sed ipsius Augustini genuinos esse, ipse Petrus Martyr fateatur. Siue ergo hoc sacrificium cum Græcis *Liturgian*, siue cum Armenianis *Corbon*, id est, oblationem, siue *Canonem vniuersalem* cum Æthiopicis, *Carbon*, id est oblationem, cum Ægyptiis, siue *Alcorban*, id est, Sacrificium, cum Arabibus, siue *Missab* cum Chaldæis appelles; idem nihilominus erit sacrificium, quod in Ecclesia Dei semper celebratum fuit, & ad finem usque Mundi celebrabitur. Hæc illa sancta Missa est, cuius antiquissimus Gallicarum rerum scriptor Gregorius Turonensis tam sæpe meminit; cuius ab Apostolis celebratæ in Vaticana & Regum nostrorum bibliothecis formulæ exstant: qualis illa est S. Iacobi Apostoli, à Constantinopolitano Concilio ante mille annos pro authentica recepta, quam & nostris temporibus Ieremias Patriarcha protali agnouit, vt Crusius Lutheranus ipse in Turcogræcia sua faretur. Formulâ huius Græce conscriptam doctissimus vir R. P. Fronto Ducæus in Catharinæ Medicæ bibliotheca vidit. Similis etiam à S. Marco Euangelista conscripta in quodam Calabriæ monasterio, Ordinis S. Basilii, reperta est.

Quod si præcorum Papistarum, vt vobiscum loquar, testimonia vobis non satis faciunt; agite, primos vestros Calvinistas audite. Bullingerum inspicite, apud quem Missæ formula, vt ea post Apostolorum tempora vîsata fuit, nostræ plane per omnia similis, exstat. Vt Centuriatores taceam, qui diuersis locis eandem similem omnino prodiderunt. Plura hæc de re differere hoc loco nihil attinet, quum totum hoc argumentum à præstantissimis viris, Murerio, Richeomo, Bordesio, & aliis non minus docte quam copiose pertractatum, atque eius qui sacrificium hoc abolere conatus est, non error modo, sed & impietas clarissime ostensa sit.

DE PRIMA CALVINISTICÆ ECCLESIAE  
forma, deque Manducatione Calu-  
nistarum quæ postea Cœna dici  
cœpit.

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

A R G V M E N T V M.

- I. *Caluinistica Ecclesia diu nullam certam formam Ecclesie habuit.*
- II. *De clandestinis Calvinistarum cœtibus.*
- III. *Formæ cœnæ Caluinisticae, quæ Manducatio tum appellabatur.* (uenit.
- IV. *Narratio casus cuiusdã qui dum ea celebratur e-*
- V. *Complures Calvinista Catholicos se simulant.*
- VI. *Derebus aliquot dubijs Protestantium in Germania & Geneuatiũ theologorum sententias exquirunt.*

TAM fanatico spiritu animique incertitudine agebantur omnes illi, qui à Calvino seducti à vera Ecclesiæ semita exorbitarant, & in Francia circumcursitabant, vt nec quid facere, nec quam formam Ecclesiæ suæ dare vellent, satis constitutum haberent. Quisque cubiculum suum pro templo atque oratorio habebat, ibique quibus vellent modis Deo sacrum faciebat, & si diis placet seruiebat: non aliter quam si nulla vnquam Christiana religio, nulli certi colendi ac precandi Deum Sacramentaque administrandi ritus existissent. Fideles illi Dei filios, vt & omnes veteres hæretici, S. Augustino norante, se iactabant. Quod si forte pauculos aliquot collegissent suosque fecissent, in speluncis locisque secretis conueniebant, non tantum vt suo modo sacra face-

L I rent,